

tenore, cum salutaris obedientiæ merito, R. P. Fr. Thomæ Cantuar. Pruggmair, præfatæ nostræ reformatæ provinciæ Bavariæ ministro provinciali, facultatem concedimus, quatenus, servatis in reliquo servandis, typis illud mandare possit et valeat. Datum Romæ ex Ara-Cœli, die 20 junii 1732. — Fr. JOSEPH MARIA ab EBORA, commissarius generalis ordinis. — De mandato paternitatis suæ reverendissimæ Fr. JOANNES ANTONIUS de TAURINO, secretarius generalis.

FACULTAS ADMODUM REVERENDI PATRIS MINISTRI PROVINCIALIS. — Cum a reverendo Patre Anacleto Reiffenstuel, ord. Min. S. Francisci reformatorum provinciæ Bavariæ lectore jubilato opus quoddam, cui titulus: *Tractatus de Regulis juris, etc.*, sit compositum, a duobus Theologis revisum et approbatum, plurimumque recommendatum, et omnia, quæ de jure in editione librorum sunt servanda, sint observata: tenore præsentium facultatem impertior, ut hoc laudatissimum opus pro utilitate publica typis mandari possit. Actum Monachii 12 julii 1732. — Fr. THOMAS CANTUAR. PRUGGMAIR, ord. Min. S. Franc. ref. lector jubilatus, provinciæ Bavariæ minister provincialis.

CENSURA THEOLOGICA. — *Tractatus præsens de Regulis juris, etc.*, qui solus famosissimo alias Juri canonico universo R. P. Anacleti Reiffenstuel ordinis, ac provinciæ nostræ lectoris jubilati, adhuc defuisse videbatur, a pluribus utriusque juris peritis avide desideratus, nunc tandem ad commune orbis litterati solatium typis vulgatur; qui sane, sicut ipsummet celeberrimum opus (Jus videlicet Canonicum Universum ab eodem præclarissimo auctore in lucem editum) tam ob doctrinæ soliditatem, quam styli claritatem, nec non perspicuam, captuque facillimam methodum, atque optime ordinatam materiarum divisionem publicum per omnia meretur præconium. Textus efficaces, ex ipso fonte juris canonici ac civilis copiose desumpti, et repetito de industria revisi, fidelissime in eodem allegantur: regulæ ipsæ per plures casus canonico-civiles summe proficue magis explanantur: fallentiæ potiores, et in praxi frequentiores solerter adducuntur: neque objectiones, si quæ occurrunt notabiliores, una cum fundata earum solutione, ullatenus dissimulantur; ut proin firmiter nobis persuadeamus, expectationi atque spei de tanto viro conceptæ, ex integro ac plenissime esse satisfactum. Et quoniam cæteroque in toto hoc Tractatu fidei, aut bonis moribus prorsus nil contrarium reperitur, eundem, uti luce publica dignissimum, ita legentibus utilissimum fore censemus. Datum Monachii die 4 junii 1732. — Fr. BRUNO MÆSSENHAUSER, lector generalis, et provinciæ diffinitor. Fr. MASSÆUS KRESSLINGER, iterato ex-provincialis, et SS theolog. ac SS. canonum lector jubilatus.

DIE 7 NOVEMBRIS 1831. — REIMPRIMATUR. — Fr. DOMINICUS BUTTAONI ord. Præd. mag. S. Pal. soc. — REIMPRIMATUR. — JOSEPHUS DELLA PORTA Patriar. Constantinop. Vicesg.

JURIS CANONICI

UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

In Quæstiones distributi solidisque Responsionibus
et objectionum Solutionibus dilucidati

LIBER QUINTUS.

PRÆFATIO.

Postquam in secundo libro Decretalium de ordine judiciario in causis civilibus observando, et in tertio ac quarto de materia, seu rebus tum clericorum, tum laicorum, quæ in judicium ecclesiasticum civile deducuntur, tractatum fuit: pergit compiler Juris Canonici hoc quinto libro Decretalium ad discutienda ea, quæ in judicium ecclesiasticum criminale veniunt. Differt autem hoc judicium a civili: quia in civili non agitur super crimine, sed super re aliqua vel jure debito; vel si quidem agatur super crimine, non tamen ad vindictam publicam, sed ad interesse privatum. Judicium vero criminale est, quando agitur super crimine ad publicam vindictam; id est, eo fine, ut reus criminis publice, seu juridice puniatur. De hoc igitur judicio criminali, quantum attinet ad forum ecclesiasticum, ex professo tractat liber quintus Decretalium; in quo imprimis toto titulo primo docetur, qua ratione actiones criminales sint instituendæ: dein agitur de variis delictis, quæ ad forum ecclesiasticum deduci, ibique dijudicari, et puniri debent: tandem etiam sequitur de

pœnis ecclesiasticis, atque censuris in criminosos statutis. Et horum quidem notitia adeo scitu est necessaria, ut plura eorum etiam theologia a jure canonico mutuet: nos vero principaliora Deo favente discutimus.

TITULUS I.

De accusationibus, inquisitionibus
et denuntiationibus.

1. *Objectum tituli præsentis.* — Præsens titulus tractat de ordine seu tela judiciaria criminali, ponendo ea, quæ sunt propria sive in judicio criminali; nam reliqua, quæ hoc judicium cum civili habet communia, ex secundo Decretalium libro desumenda sunt. Cæterum materia præsentis tituli est copiosissima, quam nonnulli in integris tomis declarant: nos præcipua, et ad forum ecclesiasticum magis spectantia, sequentibus paragraphis explicabimus.

§ I.

DE VARIIS MODIS PROCEDENDI CONTRA CRIMINOSOS,
UBI ETIAM DE ACCUSATIONE IN SPECIE.

2. *Generatim duobus modis contra criminosos proceditur.* — Quæritur I. Quibus generatim modis in foro canonico procedatur contra criminosos? Resp. I. cum Alphonso Vigilut. Lib. X, *Practice canonice criminalis*, concl. 4, et aliis, id generatim fieri duobus modis, nimirum vel ad instantiam partis vel ex officio iudicis. Priori modo iudex procedit, quando pars offensa, vel alius, ad quem de jure spectare potest jus accusandi, vel deserendi, porrigit accusationem seu querelam, et super ipsa postmodum per iudicium proceditur. Posteriori modo, sive ex officio iudicis id fit, quando iudex ex se ipso, seu ex officio suo inquit, seu assumit informationem contra delinquentem, et contra eum procedit.

3. *In specie vero tribus, nempe accusatione, inquisitione et denuntiatione.* — Resp. II. Magis loquendo in specie sunt tres potissimum modi, quibus crimina in iudicium deducuntur, videlicet, accusatione, inquisitione, et denuntiatione, cap. *Qualiter*. 24, § penult. h. t. ibi: « Contra quos (criminosos) tribus modis possit procedi: videlicet per accusationem, denuntiationem, et inquisitionem ipsorum, » quod idem habetur, c. *Licet*. 31, princ. de *Simon.* de quibus tribus modis proinde loquitur rubrica præsentis tituli. Dico notanter, *tres potissimum modi*: nam addi debent alii duo modi deducendi crimina in iudicium, nimirum ope exceptionis c. 9, h. t. et processu sine ordine, uti fit, quando reus in flagranti crimine deprehenditur; aut quando dictum est notorium, arg. can. *Prohibemus*, 14, et can. 16, caus. 2, q. 1. ac amplius patebit infra § 5.

4. *Solvitur instantia.* — Nec dicas, c. *Super his*, h. t. tres tantum modos, et quidem alios a supra dictis tribus enumerari a pontifice, quem tamen non est censendum mutilate vel male locutum, dum ait: « Respondemus, quod tribus modis valet crimen opponi, denuntiando, excipiendo, et accusando. » Resp. enim cum Abbate ibidem § *In Glossa*, et aliis doctoribus, quod aliud sit querere, quot modis possit agi de crimine, aliud opponere crimen: nam opponere crimen denotat factum partis adversæ, nec proprie fit nisi aliquo istorum trium modo-

rum; sed agi de crimine potest omnibus quinque modis, quibus crimina in iudicium deducuntur.

5. *Definitur accusatio criminalis.* — Quæritur II. Quid sit accusatio criminalis? quomodo fieri debeat? et in quo differat ab actione, et accusatione civili, et a denuntiatione, ac inquisitione? Resp. I. Accusatio criminalis est criminis alicujus apud iudicem competentem legitime facta delatio ad publicam vindictam. Ita in re communis, arg. l. fin., c. h. t., quamvis alii addant *interveniente inscriptione*, tamen hæc verba omittimus, quia implicite continentur in verbo *Legitime*; prout, et tota definitio statim patebit ex responsione sequenti.

6. *Plura ad eam requiruntur, veluti I. ut fiat in scriptis: quod tamen hodie non attenditur.* — Resp. II. Ad hoc, ut accusatio criminalis legitime fiat, requiruntur plura. Patet inductione. Nam I. Requiritur, ut accusatio criminalis fiat in scriptis per libellum rite formatum. l. *Libellorum*. 3, ff. h. t. et can. 4, caus. 2, q. 8, ibi: « Accusationes nunquam recipiantur sine scripto. » Nisi crimen sit de levioribus, utpote quæ in scriptis accusare necesse non est, cum de plano discutiantur, arg. l. *Levia*. 6, ff. eod. Imo vigore hodiernæ consuetudinis communiter receptæ, etiam de gravioribus criminibus sine scriptura oretenus accusatio fieri potest, teste Julio Clar., § fin. q. 12, n. 6 et 7; Salicet, in l. penult. c. h. t.; Azor., p. III, lib. XIII, cap. XIX, dub. 2; Pirhing, h. t. n. 2, et aliis; dummodo accusatio, seu querela oretenus proposita, per notarium, vel actuarium publicum in scriptis redigatur, et de reliquo serventur servanda, prout vult constitutio Caroli V, art. 5, 89, et seqq. beneque advertit Clarus, loc. cit. Cæterum cur jura velint, ut accusatio in scriptis fiat, ratio est: tum ut constet, quid accusator probare debeat, et ne quid mutare valeat, si videt, se in probatione deficere, tum etiam, ut iudex accusationi conformiter sententiam facilius ferre queat, prout debet.

7. II. *Ut fiat apud competentem iudicem.* — II. Requiritur, ut fiat apud competentem iudicem; secus enim processus et sententia foret nulla, l. 4, et l. fin. c. *Si non competent.* Hinc dictum est in definitione, « apud iudicem competentem. »

8. III. *Ut exprimat nomen iudicis, accusatoris, accusati, delicti, mensisque, et annus, in quo commissum fuit.* — III. Requiritur, ut

exprimat nomen iudicis, apud quem fit accusatio; quatenus cognosci valeat, an sit competens. Item nomen accusatoris, et accusati; ut appareat, an sint tales, qui accusare, vel accusari possunt: necnon species delicti: sicut etiam locus et tempus delicti, annus saltem, et mensis, in quo perpetratum fuit; prout aperte liquet ex can. fin. § *Libellorum*, cau. 2, q. 8, et l. *Libellorum*, 3, ff. h. t. Ratio est: tum ne accusatio vaga et obscura fiat: tum ne accusato desit occasio defendendi se: tum etiam ut videre valeat iudex, an crimen non jam sit præscriptum: quod si una ex memoratis circumstantiis omittatur, libellus tanquam vitiosus ex officio rejici debet, Carolus, loc. cit. q. 12, n. 9; Gailus I, observat. 64, n. 9, et seqq. Et hæc omnia de substantia accusationis esse, cum communi docet Clarus, lib. V. § fin. q. 12, n. 9.

9. *Dies tamen et hora delicti necessario non exprimitur.* — Expressio tamen diei et horæ, in qua delictum commissum fuit, necessaria non est, cit. l. III, ff. h. t. ibi: « Neque autem diem, neque horam invitus comprehendet. » Nisi forsitan talis expressio accusatori facilis, et accusato ad sui defensionem utilis, aut necessaria foret, eamque propterea exigeret accusatus; hoc enim in casu etiam diem et horam reo exigente exprimi debere, bene advertit Farinacius, *Reor. defens.* 3, cap. III, num. 7 et 10, cum aliis.

Requiritur tamen, ut exprimat dies, et a fortiori annus accusationis factæ per jura num. præcedenti allegata. Quod etiam de substantia requiri, bene docet Ameno, tit. X, §. *Denuntiatio*, § 4, q. 4, n. 34; tum quia in jure, ubi præscribitur forma, requiritur dies, cit. l. III, ff. h. t.; tum quia bene potest contingere, ut valor processus a die hac dependeat; ut si tali die iudex fuisset suspensus, vel accusator, inimicus accusati, etc. Et quamvis Clarus in aliquo putet, non esse de substantia apponere diem accusationis, tamen id omnino fieri debere fateatur. Imo hæc omnia de substantia accusationis esse, cum communi docet Clarus, lib. V, § fin., q. 12, n. 9.

10. IV. *De jure requiritur etiam inscriptio.* — IV. De jure requiritur accusatoris inscriptio, seu subscriptio, qua se obligat ad crimen objectum probandum, vel, si in probatione defecerit, ad pœnam talionis, id est, ad subeundam eandem pœnam, quam reus

pati debuisset, si crimen probatum fuisset, c. *Super his*. 16, hoc tit. can. *Quisquis*. 3, et can. *Quis crimen*. 4, cau. 2, q. 8, juncta l. *Si cui*. 7, ff. hoc tit. ibi: « Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen subscriptio. » Ratio ibidem additur illis verbis: « Quæ res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem; cum sciat, inultam sibi accusationem (si esset injusta) non futuram. »

11. *Secus de consuetudine.* — Verum de facto hæc inscriptio non amplius est in usu, sed per contrariam consuetudinem abrogata, et pœna talionis in arbitrariam, et extraordinariam commutata: quia propter talionis pœnam multi etiam a justa accusatione fuere deterriti, et sic delicta manserunt impunita cum gravi reipublicæ damno, prout cum aliis optime advertit Clarus, in *Prax. crimin.* lib. V, § 2, q. 81, n. 3; Covarruv., *Var. resolut.* lib. II, cap. IX, n. 9; Gailus, lib. I, de *Pace publ.*, cap. IX, n. 3; Felinus, in c. *Super his*. h. t., n. 5. Si quis tamen convinceretur, quod innocentem vere malitiose accusasset, aut denuntiasset, pœnam talionis sustinere adhuc deberet vigore constitutionis Pii V. *Cum primum*, innovantis pœnam talionis. Quamvis enim ibi tantum sit sermo de objectione criminum sodomix, blasphemix, et concubinitus, tamen dictam constitutionem etiam ad accusatores de aliis criminibus extendit Passerinus, *Tribunal. regul.* q. 7, n. 44.

12. *In religione nostra adhuc est in usu vi statutorum.* — Illud certum est, pœnam talionis adhuc procedere, et infligi debere in illis locis, vel religionibus, ubi speciatim de illa extant statuta, prout est in religione nostra Seraphica. Nam statuta generalia, cap. VII, § 6, n. 26 et 27, pœnam talionis justis de causis præcipiunt illis verbis: « Pœna talionis puniri debent, qui falsum testantur, et etiam accusatores qui crimen objectum legitime, ac sufficienter non probaverint, qua puniri debuissent accusati, si crimen contra eos objectum legitime probatum fuisset: qua pœna etiam puniantur, qui scienter de crimine alias sufficienter punito, quempiam accusaverint, a quibus alias accusatus judicialiter, ac rite fuit absolutus juxta decreta per constitutionem sancti Damasi papæ. Et quia hæc apostolica sancti Damasi papæ constitutio ad præcludendam calumniis, ac imposturis, ac indebitis vexationibus viam, et ad calumniatores, et im-

postores juste compescendos, valde opportuna quidem et salutaris est, idcirco ab omnibus ordinis superioribus et praelatis sub gravi suspensionis poena, vel etiam privationis contrafacientibus, aut negligentibus subeunda, eam servari omnino praecipimus.

13. V. *Debet fieri ad publicam vindictam: in quo differt ab accusatione civili.* — V. Requiritur, ut accusatio fiat ad publicam vindictam, quatenus videlicet ob bonum publicum, ad terrorem, et exemplum aliorum reus publice puniatur poena corporali, aut poena pecuniaria fisco applicanda, vel privetur dignitate, officio, beneficio, etc. Quando enim delatio criminis non ad publicam vindictam, sed solummodo ad satisfactionem et utilitatem illius, qui damnum aut injuriam passus est, jam non accusatio criminalis sed accusatio seu actio civilis est; possunt namque crimina non tantum criminaliter, sed etiam civiliter in iudicium deduci, § *In summa*. 10. *Instit. de iurejur.* Et ex his facile patet responsio ad tertiam partem quaesiti.

14. *Accusatio criminalis, in quo differat a civili? item ab inquisitione, et denuntiatione* — Resp. ergo III. Accusatio criminalis differt ab accusatione, seu actione civili, quod illa intendat vindictam publicam, haec vero commodum, aut satisfactionem agentis, vel accusantis, aut injuriam vel damnum passi. A denuntiatione differt; tum quia haec de jure non requirit inscriptionem, nec tantas solemnitates, uti accusatio, ut bene advertit Gonzalez, in cap. 1, h. t., n. 6, arg. c. *Super his*. 16, eod. Ab inquisitione differt; quia haec ex officio iudicis, accusatio vero in instantiam partis inchoat; prout amplius §§ II et III, aliaque differentiae patebunt.

15. *Plures non possunt accusare.* — Quaeritur III. Quinam criminaliter accusare possint? Resp. Omnes posse, qui ob « aetatem, sexum, statum, officium, defectum, delictum, suspicionem calumniae, sanguinis conjunctionem, vel reverentiam » a jure non prohibentur, prout habetur can. *Prohibentur* 4, cau. 2, q. 1, et l. *Qui accusare*. 8, ff. h. t. uti amplius de singulis patebit ex statim dicendis.

16. *Veluti I. Impuberes; item minores respectu adulteri, non item aliorum criminum.* — I. Ob defectum aetatis accusare non potest impubes seu pupillus cit. can. 14, cau. 3, q. 1, et l. 8, ff. h. t. ibi: « Alii propter aetatem

ut pupillus. » Minor autem 25 annis excluditur ab accusatione adulteri, nisi ipsius proprium matrimonium esset violatum, l. *Si maritus*. 15, § 6, ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.* ibi: « Lex Julia de adulteriis specialiter quosdam adulteri accusare prohibet, ut minorem viginti quinque annis. » Ratio additur: « Nec enim visus est idoneus accusator, qui nondum robustae aetatis est. Quod ita verum est, si non matrimonii sui injuriam prosequatur. » Quia vero minores a sola hac accusatione excluduntur, et exclusio unius sit inclusio alterius, alia crimina accusare bene poterunt, dummodo illius sint aetatis, quod postulare, seu in publicum procedere valeant, videlicet 17 annorum, l. 1, § 3, ff. *de Postuland.* eisque assistat curator l. *Clarum*. 4, c. *de Auctorit. praestant* et bene docet Clarus, § fin. q. 14, n. 7. Addens consuetudine hodierna indistincte admitti omnes minores ad accusandum, dummodo 14 annum expleverint.

17. II. *Mulieres.* — II. Ob sexum ab accusando repellitur mulier cit. can. *Prohibentur*. 14, cau. 2, q. 1, et l. 8, ff. h. t., ibi: « Alii propter sexum ut mulier, » nisi accuset de criminibus exceptis, juxta dicenda infra n. 30.

18. III. *Servi: et juxta aliquos filiofamilias.* — III. Ob statum ab accusando repelluntur servi: cum enim hi nequeant agere civiliter, l. *Servus*. 6. c. *de Judiciis*, multo minus criminaliter. Ob statum aliqui cum Glossa, in l. fin. pr. §. *Necessitate*. c. *de bonis, quae liberi*. volunt, filiumfamilias sine consensu patris accusare non posse, Farinac. *Prax. criminal.*, tit. *de accusat.* q. 12, num. 10; Bartol. in l. *Inter liberos*. 6. ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.*; Clarus, in *Pract. crimin.* § fin. q. 14, n. 5. Alii filiumfamilias etiam sine consensu patris ad accusandum admittunt ex illa ratione, quia accusatio pertinet ad jus publicum, causam nempe publicam, in iis vero, quae ad jus publicum spectant, non attenditur jus patriae potestatis, l. *Filiusfamilias*. 9. ff. *de His, qui sui, vel alieni*. cum concordant. Hinc Clarus, loc. cit. ait, se in praxi de hac doctrina nunquam dubitari vidisse. Illud certum est; quod filiumfamilias cum consensu patris accusare valeat.

19. IV. *Clerici, religiosi, nisi accusent suum praelatum, qui ad litem etiam expensas subministrare debet. Quomodo possint religiosi et clerici crimina aliorum accusare.* — V. Rursus

ob statum criminaliter accusare non possunt clerici et religiosi, can. *Sacerdotes*. 51, cau. 2, q. 7, cau. *Sicut*. 6, ead. cau. et q. praesertim si infligenda esset poena sanguinis, c. *Sententiam*, 9, *Ne clerici vel monachi*. Et licet ad arcei dam suam, suorumque injuriam, vel utilitatem monasterii etiam laicos accusare valeant, tamen si esset causa sanguinis, deberent expresse protestari, se non agere ad publicam vindictam, sed praecise ad avertendum damnum; alias peccarent mortaliter, et secuta morte, vel mutilatione, accusantes fierent irregulares, c. 21. *de Homicidio*, et c. 2, eod. in 6 Religiosi tamen ab accusatione sui praelati nullatenus sunt repellendi, ut dicitur c. *Ex parte*. 11, hoc tit. quia interest monasterio, ne malum habeat praelatum. Hinc tenetur praelatus etiam ministrare expensam pro lite contra se mota, cit. c. 11, h. t., et ibi Glossa, §. *Alia* communiter recepta.

20. V. *Milites: et membra magistratus superiorem non agnoscentes.* — V. Ob officium accusare nequeunt primo milites, cit. l. 8, ff. h. t. ne occasione accusationis a signis et castris avocentur. Secundo magistratus membra l. 8, ff. h. t., ibi: « Alii propter magistratum: » cum enim hi ob potestatem in jus vocari, seu accusari nequeant, cit. l. 8, ff. h. t. aequum non videtur, quod ipsi alios accusare valeant. Id tamen cum communi doctorum intellige de magistratu more Romanorum, supremam potestatem et jurisdictionem exercente, et alium superiorem non agnoscente; non item de magistratibus inferioribus, et iudicibus ordinariis superiorem habentibus, et cognoscentibus, l. *Nec magistratibus*, 22, ff. *de Jurejur.* et l. *de Ordinando*. 4. c. *de Offic. praefect. praet. Orient.*

21. VI. *Surdi et muti; item mente capti.* — VI. Ob defectum corporis scilicet vel animi accusare non possunt primo surdi et muti a natura, arg. l. 1, § 3, ff. *de Postulat.* Secundo furiosi, et mente capti, quia, quae geruntur, non intelligunt. l. *Dummodo*, 2, § 1, ff. *de Procurat.* et mortuis aequiparantur, l. *Qui ad certam*. ff. *Locati*.

22. VII. *Infames ac criminosi, et quomodo?* — VII. Ob delictum ab accusando repelluntur primo infames et criminosi, ut cit. l. 8, ff. h. t. ibi, « Alii propter delictum, ut infames, » c. *Infames*, 17, cau. 6, q. 1. Ubi tamen differentia est inter jus civile et canonicum. Nam jure civili soli illi infames ab

accusando repelluntur, qui laborant infamia juris, id est, tales, qui per iudicium publicum infamiam irrogant, damnati sunt, aut qui ex delicto aliquo infamiam ipso jure, et absque damnatione contrahunt, l. *Is qui*, 4, ff. hoc tit. De jure canonico autem non tantum infames infamia juris, sed etiam infamia facti, et criminosi nondum accusati, aut condemnati, arg. can. *Si qui sunt*. 17, et can. *Quaerendum*, 18, cau. 2, q. 1, juncto c. *Cum in tua*. 27. *de Sponsal.* Clarus, § fin., q. 14, a. n. 9.

23. VIII. *Criminaliter accusati, et quomodo?* — VIII. Dein ob delictum actu jam accusatus, nequit accusare alium, vel reaccusare suum accusatorem, si jam est facta litis contestatio; nisi prius purgaverit se, et appareat innocens, can. 1 et 3, cau. 3, q. 11, c. fin. *de Test.* ibi: « Cum etiam accusati (nisi prius se probaverint innocentes) ab accusatione repellantur; » et l. *Neganda*. 19, c. *de His, qui accusar.* vel nisi majus crimen illo, de quo ipse fuit accusatus, suo accusatori, vel alteri objiciat, l. 1, c. eod.

24. IX. *Excommunicati.* — IX. Ulterius ratione delicti accusare non possunt excommunicati, can. *Omnes*. 7, cau. 3, q. 4, cau. 1 et 2, cau. 4, q. 1, c. *Intelleximus*, 7, *de Judic.* et c. 1, *de Except.* quod extendunt communiter etiam ad casum, quo suam aut suorum injuriam prosequuntur, idque ut contumaciae vitium reprimatur.

25. X. *Inimicus capitalis accusans, et cohabitantes cum tali inimico.* — X. Ob suspicionem calumniae ad accusandum non admittuntur inimici, non quidem leves, sed graves et capitales, can. 2, cau. 3, q. 5, ibi: « Accusatores et testes esse non possunt, qui inimici fuerunt. » Ratio additur: « Ne irati nocere cupiant, aut laesi se ulcisci velint: » concordat c. *Meminimus*. 13, et c. *Cum oporteat*. 19, h. t. Imo etiam cum inimico accusanti cohabitantes, aut frequenter versantes ab accusatione repelluntur, can. *Accusatoribus*. 3, cau. 3, q. 5, ibi: « Accusatoribus inimici, vel inimicis domo prodeuntibus vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, non credatur, ne irati nocere cupiant, vel laesi ulcisci se velint. » et c. 7, h. t. ibi: « Repellantur ab accusatione cohabitantes inimicis. » Nam amici accusatoris censentur esse inimici accusati, can. 1, dist. 93. Nec refert, quod accusatus culpa sua dederit causam inimicitiae; nihilominus enim excipere potest contra inimicum accu-